



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiae Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

Reuelationes quomodo à Deo fiant. Cap. XLV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

tatibus circumdatam: hinc iterum interdum nascuntur multi gemitus, lachrymae, & anhelosa desideria. Lachrymae autem huiusmodi vel in modico refocillant & reficiunt, & sunt vtilis eo tempore ad conseruandam valetudinem corporalem, qua facilius amor impatiens sustineri possit, & naturae sanitas conseruari.

Reuelationes quomodo à Deo fiant. Cap. XLV.

Reuelationes fieri multasariam.

CAeterum, quia ibi est oculus, ubi amor requiescit, praesertim iste acutus & penetratius, omnes animae vires in solum Deum trahens, idcirco frequenter contingit, quod spiritualis oculus animae in dilectum directus recipit multas illuminationes arcanae diuinae veritatis: quia amor est principalis causa, propter quam amici mutuo sibi sua secreta reuelant. Vnde dicit Richardus lib. iiii. de Cōtemplatione: Ex magnitudine dilectionis depēdet modus diuinae reuelationis. Et ideo huiusmodi amator interdum sursum rapitur, ei que reuelantur veritates sibi aut alijs necessariae, aut in imaginibus corporeis, aut similitudinibus spiritualibus edocetur, vel etiam de futuris aliqua reuelantur, quae visiones aut reuelationes dicuntur, & plerumque in figuris imaginarijs ostenduntur. Interdum etiam recipiuntur veritates intellectuales vel similitudines aliquae spirituales, quibus seipsum Deus utcumque (secundum quod sibi placuerit) imprimi oculis intellectualibus hominis: & ista adhuc ex parte possunt verbis depromi. Aliquando in mentis excessum rapitur amator impatiens, licet non penitus extra se, in quoddam incomprehensibile bonum agnoscendum aut fruendum, iuxta mensuram & modum, quibus Deo cōcedere placuerit: sed hoc non potest explicari aut plenè comprehendere, eò quod Deus subitis spiritualibus intellectualibusque fulgoribus coruscet in spiritu instar fulguris, quod subito splendet & disparet. Et quamuis splendor iste spiritum hominis velut in momento supra se rapiat, mox tamen ut splendor ille transierit, spiritus ad se reuertitur: & haec est operatio Dei, amantem spiritum valde clarificans lumine intellectuali. Interdum denique recipit spiritus irradiationem cuiusdam luminis, in quod appetitiua cordis affectio ad eò intrahitur, quod astuanti impetu se erigit obuiam praefato lumini, statimque in huiusmodi occursum cor inebriatur torrente insolite voluptatis, in tantum, quod ob angustiam cordis ipsam oporteat erumpere, sicut vinum nouum erumpit ex obturato vase: & vocatur in Scripturis iubilus, hoc est, gaudium cordis, quod nec verbis explicari potest, nec occultari. Interdum etiam nate interior

Iubilus.

Interior homo in delicijs spiritualibus, veluti piscis in aqua: & pariformiter mille modis Deus visitat impatientem amatorem spiritualibus delicijs & cognitionibus.

Sed hic oportet decepta corda, nec non & curiosos atque immortificatos amatores valde diligenter cauere, ne falsis reuelationibus decipiantur. Nam quando huiusmodi homines habent curiosum desiderium recipiendi dona interna, experimentales dulcedines, reuelationes, & similia, venit frequenter Angelus tenebrarum, transformans se in Angelum lucis, infunditque incrinsecus, aut ostendit foris in cordibus, vel sensibus plenis vanitate & vacuis charitate, deceptorium quoddam lumen, aut imagines, aut similitudines, & etiam immitit cogitationibus hominis quasi sit inspiratio diuina, & hoc etiam de futuris, quæ aliquando sunt vera, & interdum falsa. Istiusmodi vero curiosi, falsique amatores recipiunt talia (vtpote homines inexperti) cum magno desiderio, & venerantur tanquam à Deo venerint, delectanturque in huiusmodi intimo cordis gaudio: efficiuntur etiam ex hoc præsumptuosi, sapientes in oculis suis, à nemine consentiunt instrui, omnia sua magna reputant, intus depascuntur ab inani gloria: talique virulento pabulo animæ, diuini amoris affectum inficiunt. Sed verus amator in omnibus donis, quæ recipere potest, efficitur humilior, magis gratus, in propria voluntate magis mortificatus, ad implendum diuinum beneplacitum studiosior, non quiescens in aliquo dono, sed dumtaxat in datore omnium donorum.

Reuelationes falsæ quomodo fiant.

2 Cor. II.

Isa. 56.

Amator verus.

Nobilissimum aspirationis, vnituique amoris exercitium quadriforme. Cap. XLVI.

Est etiam considerandum, quod exercitium aspirationis & vnitui amoris, maximè & vigorosissimè in hoc tertio gradu cõsurrectionis practicatur, licet posset eius exercitiũ etiam in actiua vita inchoari: & ideo ipsũ hic prosequemur, per quia hoc exercitiũ omnes tentationes & media inter Deum & nos statim amouentur: ipsum etiam est introitus ad altissimam perfectionem, quia magno impulsu perurget hominem festinare ad altissimam Dei assimilationem, in perfecta mortificatione omnium vitiorum, adeptioneque omnium virtutum. Ipsum denique est altissima cedrus in monte perfectionis, quæ quatuor ramis adornari debet, id est, quatuor exercitijs: quia quamuis istud exercitium perurgendo penetret omnes tentationes & occu-

Dddd 4. patio-